



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8 Vtrum corpus Christi in cruce, & in sepulcho sit vnum numero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Vnde patet responsio ad primum & secundum. **F**ur, solus pater dicit, quia solus ipse generat uerbum. Hoc enim uerbo exprimitur quicquid tota trinitas scit, quia trium personarum est una scientia, & ex hac ratione uerbum importat respectum ad creaturam in quantum est expressio quadam scientie, quam pater communiter habet cum aliis personis de creatura.

Fur, solus pater dicit, quia solus ipse generat uerbum. Hoc enim uerbo exprimitur quicquid tota trinitas scit, quia trium personarum est una scientia, & ex hac ratione uerbum importat respectum ad creaturam in quantum est expressio quadam scientie, quam pater communiter habet cum aliis personis de creatura.

AD SECUNDUM dicendum, quod aliud est uerbum, & id quod dicitur uerbo, hoc n. uerbo quod est lapis, significatur res quae non est uerbum, sed corpus, unde nihil prohibet creaturam procedere a Deo per modum uoluntatis: uerbum autem quod dicitur creatura, per modum naturae.

QV AESTIO IIII.

DEINDE quaesitum est de personis, quae pertinent ad personam filii.

Primo, Quantum ad naturam diuinam.

Secundo, Quantum ad naturam assumptam.

Circa primum quaesita sunt duo.

Primo, Vtrum pater eodem uerbo dicat se, & creaturam.

Secundo, Vtrum filius sua filiatione distinguatur a spiritu sancto.

ARTICVLVS VII.

Vtrum filius distinguatur filiatione a spiritu sancto.

CIRCA secundum sic proceditur. Videtur, quod filius distinguatur filiatione a spiritu sancto. Eodem enim modo aliquis constituitur, & ab alio distinguitur: sed persona filii constituitur filiatione, quae proprietas est personalis, id est constituit personam filii, ergo filiatione distinguitur a spiritu sancto.

SED CONTRA est, quod Boet. dicit in li. de tri. q. sola relatio in diuinis multiplicat trinitatem & Ansel. dicit in li. de processione spiritus sancti, quod ibi solum distinguantur personae diuinae, ubi occurrit relationis oppositio: sed filius non opponitur patri in filiatione, sed solum patri, ergo filius non distinguitur filiatione a spiritu sancto, sed solum a patre.

RESPON. Dicendum, quod hoc modo se habet proprietates personales in diuinis ad distinguendum personas, sicut se habent in rebus naturalibus formae substantiales ad distinguendum species rerum, sic tamen quod a creaturis exempla ad Deum assumpta non omnino similia sunt. In rebus autem naturalibus distinguuntur aliquid per formam suam ab alio dupliciter. Vno modo, secundum directam oppositionem formae ad formam, & hoc modo distinguitur unaquaeque res naturalis ab omnibus speciebus sui generis, quae habent formas oppositas, secundum quod genus diuiditur oppositis differentiis, sicut saphirus distinguitur sua forma ab omnibus aliis speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam secundum habere & non habere, & hoc modo quod habet aliquam formam naturalem, distinguitur ab omnibus non habentibus formam illam, sicut saphirus per suam formam naturalem distinguitur non solum ab aliis generibus lapidum, sed a speciebus animalium & plantarum. Sic ergo dicendum, quod filius sua filiatione distinguitur quidem a patre secundum oppositionem relationis filiationis ad paternitatem, sed a spiritu sancto distinguitur filiatione, per hoc quod spiritus sanctus non habet filiationem, quam filius habet.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QV AESTIO V.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum corpus Christi in cruce, & in sepulchro sit unum numero.

DEINDE quaesitum est de filio quantum ad naturam assumptam, & circa hoc quaesitum est, vtrum sit unum numero corpus, Christi affixi cruci, & iacens

ARTICVLVS VI.

Vtrum pater eodem uerbo dicat se, & creaturam.

1. p. 9. 34. ar.
2. ad 3. & a.
3. o. 9. 19. 2
3. 6. ad 3.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod pater non eodem uerbo dicat se, & creaturam. Dicere enim se soli patri conuenit, ut Aug. dicit 7. de trin. sed dicere creaturam conuenit toti trinitati, ea n. quae important respectum ad creaturam toti trinitati conueniunt, ut pater per Dion. 2. c. de di. ni. nom. ergo pater non eodem uerbo dicit se, & creaturam.

Pret. Creatura procedit a Deo per modum uoluntatis, filius autem qui est uerbum quo pater dicit seipsum, procedit a Deo per modum naturae, quia ut Hilar. dicit in libro de synodis. Omnibus creaturis substantiam uoluntas Dei attulit: filio autem naturam dedit naturam, ergo non est idem uerbum quo pater dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit secundo super Gene. ad litteram, Quod dixit, & facta sunt, id est uerbum genuit, in quo erat ut fieret creatura: sed uerbum genuit dicens seipsum, ergo idem est uerbum quo dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

RESPON. Dicendum, quod sicut August. dicit 15. de trin. uerbum Dei representatur aequaliter per uerbum nostri intellectus, quod nihil est aliud quam quaedam acceptio actualis nostre iustitiae: cum enim id quod scimus actu considerando concipimus, hoc uerbum nostri intellectus est, & hoc est quod uerbo exteriori significamus: sed quia nos non totum id quod habitu scimus, actu mente concipimus, sed de uo intelligibili mouemur ad aliud, in de est quod in nobis non est unum solum uerbum mentale, sed multa, quorum nullum adequat nostram scientiam, sed Deus quicquid scit, actu intelligit: & ideo in mente eius non succedit uerbum uerbo. Et sicut eadem scientia scit se, & omnia alia, ita et eodem uerbo exprimit seipsum, & omnia alia: nec esset eius uerbum perfectum, ut Au. in eodem lib. dicit, si aliqui minus esset in eius uerbo, quam in eius scientia: unde quicquid pater scit, totum unum suo uerbo dicit, & sic necesse est quod idem uerbum sit quo dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod dicere, si proprie sumatur, est producere uerbum quod soli patri conuenit: & ideo si dicere in diuinis proprie sumatur,

iacens in sepulcro. & videtur q̄ non. quia quæcun- que differunt specie, differunt numero: sed corpus Christi appensum in cruce, & iacens in sepulcro, differt specie eo modo, quo mortuum & viuum differunt specie. ergo non est vnum & idē numero.

SED CONTRA. Quæcunq̄ sunt vnum & idē numero: sed corpus Christi iacens in sepulcro, & appensum cruci, est vnum & idē supposito, siue hypostasi, quia hypostasis verbi Dei numquam separata est ab eius corpore. ergo corpus Christi est vnum & idē numero appensum cruci, & iacens in sepulcro.

RESPON. Dicendum, q̄ circa hoc cauendū sunt duæ damnatæ hæreses, quarum vna est Arrianorū, qui cum ponerent Christum animam non habuisse, sed uerbum fuisse corpori loco animæ, per consequens posuerunt q̄ uerbum separatum est in morte & corpore, sicut manifeste patet in quodam sermone Arrianorum, contra quem Augustinus disputat. Alia uero est hæresis Galanicarum, quæ fuit in sexta synodo damnata, qui cum ponerent unam naturam compositam ex diuinitate & humanitate, posuerunt illam naturam simpliciter incorruptibilem, & ita posuerunt corpus Christi simpliciter incorruptum nō solum corruptione putrefactionis, quod fides catholica tenet, secundum illud Psal. 15. Non dabis sanctum tuum uidere corruptionē, sed etiam corruptione quæ pertinet ad rationem mortis, quod est impium, ut patet per Damasc. in 3. lib. Sic ergo ad excludendam primam hæresim oportet nos ponere identitatem secundum suppositum in corpore Christi appenso cruci, & posito in sepulcro. Ad excludendam uero secundā hæresim, oportet nos ponere ueram differentiam mortis & uitæ: sed quia prima unitas maior est quàm secunda differentia, dicendum est q̄ est idē numero corpus Christi appensum cruci, & iacens in sepulcro.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ ratio illa non tenet in corpore Christi propter unitatē hypostasis.

QVÆSTIO VI.

DE INDE quæsitum est de rebus humanis.

- ¶ Et primo, De gratia.
- ¶ Secundo, De sacramentis.
- ¶ Terzio, De actibus humanis.

ARTICVLVS IX.

Utrum Deus semper faciat nouam gratiam.

CIRCA primum quærebatur, utrum Deus semper faciat nouam gratiā, & uidetur q̄ sic. Aug. enim 8. super Gene. ad literam comparat infusionē gratiæ illuminationi. Sicut, inquit, aer præsentē lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non feret, sed etiā absente lumine lucidus maneret, sic homo Deo præsentē illuminatur, absente autem continue tenebratur, a quo non locorum interuallis, sed uoluntatis auersione disceditur: sed sol semper facit nouum lumen in aere. ergo Deus semper facit nouam gratiam in anima.

SED CONTRA. Nobilioris creaturæ nobilior est esse: sed gratia est nobilissima creatura, quia est perfectio naturæ rationalis creaturæ. ergo eius esse est nobilissimum. non ergo durat solum in momento, & ita non semper Deus facit nouam gratiam.

A **RESPON.** Dicendum, q̄ duplex est actio. Quædam quæ fit cum motu, & talis actio semper est cū aliqua inuouatione, quia semper in motu aliquid fit, & aliquid definit esse in quantum acceditur ad terminum, & acceditur a termino: & propter hoc Philo. dicit in 8. Phy. q̄ in omni motu est quodam modo fieri, & corrumpi. Alia autem actio est, quæ est sine motu per simplicem communicationem formæ, in quantum. scilicet agens suam similitudinem immitit recipienti disposito, & talis actio in principio quidem est cum inuouatione, secundum quod de nouo acquiritur forma in subiecto: sed continuatio ipsius actionis sicut nullum habet motum adiunctum, sed simplicem influxum, siue communicationem, ita etiam nullam habet inuouationē, & hoc modo causatur gratia a Deo in anima.

B Unde dicendum est, q̄ quando durat gratia in anima, Deus in anima operatur causans eam, non tamē ita, q̄ faciat semper nouam gratiam, & quod singulis momentis existens corrumpatur: sed quia eandem gratiam quam primo infudit, semper operatur in anima conseruans ipsam, quod quidem difficile est ad intelligendum non ualentibus abstracte considerationem suam ab actionibus, quæ sunt cum motu, in quibus semper aliquid inuouatur, ut dictum est.

C **AD PRIMVM** ergo dicendum, quod lumen semper fit in aere, quia semper actione solis illuminantis conseruatur, nō quod semper fiat aliud, & aliud lumen.

QVÆSTIO VII.

DE INDE quæsitum est de sacramentis gratiæ.

- ¶ Et primo, De sacramento penitentia, utrum per absolutionē sacerdotis remittatur culpa.
- ¶ Secundo, De sacramento matrimonii, utrum uir possit accipere crucem, si timeatur de incontinentia uxoris non ualentis uirum sequi.

ARTICVLVS X.

Utrum per absolutionem sacerdotis culpa remittatur.

D **AD PRIMVM** sic procedebatur. Videtur q̄ per absolutionem sacerdotis culpa remittatur. Dicit enim Hugo de sancto Victore in libro de sacramentis, q̄ sententiam Petri sequitur sententia cœli: sed sententia cœli est de remissione culpæ. ergo remissio culpæ sequitur per sententiam Petri, quæ est sacerdotis absoluentis.

¶ 3. Præter. Sacramenta sunt medicinæ contra peccata: sed per medicinam sanantur uulnera, vel ægritudines. ergo ægritudo, vel uulnus peccati sanatur per sacramentum penitentia: sed sacramentum penitentia consummatur in hoc, quod dicit, Ego te absoluo, sicut sacramentum baptismi in hoc, q̄ dicit, Ego te baptizo. ergo per absolutionem sacerdotis dimittitur culpa.

SED CONTRA est, q̄ per solam contritionem dimittitur peccatum, secundum illud Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: sed contritio præcedit absolutionem sacerdotis, quia sacerdos nō debet aliquem absolueri, nisi æstimet eum contritum. ergo remissio culpæ præcedit absolutionem sacerdotis. non ergo per absolutionem sacerdotis culpa remittitur.

RESPON. Dicendum, q̄ sacramenta dupliciter operantur. Vno modo, secundum quod exhibentur in actu, alio modo secundum, quod habentur in voto, & Quodlib. S. Tho. **D** hoc

Ortho. ad dei
6. 4. 29.

Tex. 66. 56.

2. di. 15. q. 1
ar. 1. ad 4.